



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Vinvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

vel à collegio patrum, vel si habet auctoritatem à lege, quia ista durat, persequatur & ipse, secundum Pan. in ca. 1. ne sed. vac. ali. Inno. secus est, si factus est à priore, episcopo, abbate, vel alio prelato, quia non durat eo moriente. Cessat etiam vicarij potestas, episcopo excommunicato. Pan. in ca. 1. de offic. leg. Intellige secundum quosdam re integra: quia idem iudicium est, sicut de legato, secundum Pan. in c. licet. de offic. delega. Secus autem quando res non est integra, secundum Ioan. And. in d. c. 1. de offic. vic. Not. etiam secundum Pan. in c. volente. d. of. del. posito vno vicario, reliquos non remouetur: licet contrarium tenuerit Io. Cal.

VINDICATIO.

VINDICATIO vna est, quæ per iudicem, vel superiorè exercetur secundum quod iura disponunt diuina, vel humana, & si fiat secundum rectam intentionem, est actus bonus à virtute procedens. Altera, quæ sit, seu appetitur à persona priuata, & quantum ad actum vindicandi illicitum, est priuata persona, nisi propter defensionem cum moderamine, vt supra, Homicidium. §. 3. Est enim actio habetis potestatem super eum, qui punitur. Quantum autem ad appetitum non est peccatum appetere vindictam, id est, iustam punitionem malorum hoc est enim appetere iustitiam, dum modò non appetatur ex odio, vel gratia satiandi animi, vel alio malo fine, sed vel propter correctionem delinquentis, vel vt alij timeat, vel propter bonum pacis, & huiusmodi: aliter vindicantes se, vel vltionem appetentes, & non prædicto modo, mortaliter peccant, nisi ex imperfectione actus vel in re parua. Potest etiam quis querere vltionem de propria iniuria, quando redudat in vituperium Dei, sicut fecit Siluerius Papa, qui excommunicauit eos, qui cum exulem fecerant fieri. 23. q. 4. c. Guilifarius. vel quando vergit in detrimentum animarum, vel in scandalum: quia non est contra charitatem, alias patienter ferre laudabile est. c. tu bonus tolera. 27. q. 4. Mali ad exercitium bonorum à Deo permittuntur, ideo patienter tolerandi sunt.

VINVM.

VINVM non bibentes, ordinari ad sacerdotium non possunt. Ex eo enim quod vinum abhorrent, possent vomere sacramentum. ar. in c. si quis per. de cons. dist. 1.

VIRGINITAS.

VIRGINITATEM seruare non solum est licitum, sed laudabile, non quia sit præceptum, sed consilium, iuxta illud Apost. De virginibus præceptum domini non habeo, consilium autem do. Et quia posset quis obijcere præceptum Dei, scilicet, crescite, & multiplicamini, & c. dicitur, quod sufficit hoc ab aliis quibus adimpleri, & non est necessesse ab omnibus. Imò expedit aliquos cælibem vitam ducere: vt vacent cõtemplationi. Quinimò cæteris paribus, virginitas præfertur coniugio: secundum The. secunda secundæ. q. 152. a. 4. Præceptum enim illud multitudini, non singulis datum est.

VIRGINITAS non perditur, si virgo dormiens violetur, dum modò quando iuit dormitum, hac intentione non iuerit: nec si vi opprimatur, dum modò non cõsentiat in talè delectationem, licet sentiat eam: neque dum patitur seminis fluxum, dum modò renitatur quantum potest, etiam quæ corporalem habeat delectationem, Nam virginitas principaliter cõsistit in deliberata voluntate, non experiendi veneream delectationem, quæ sentitur in emissionem seminis.

VIRGINVM

consecratio.

VIRGINVM consecratio solum ad Episcopum pertinet, cui ecclesie cura committitur, & in tali consecratione confertur gratia: secundum Tho. 4. sent. d. 38. q. 1. nisi sit obex: non ex vi sacramenti: quia sacramentum non est, sed ex opere operantis.

MVLIERES virgines mente, sed corpore corruptæ (quia violenter, siue dormientes, siue aliter fuere corruptæ) non debent consecrari, quauis virginitatem non perdidissent formaliter: quia ecclesia tantum de exterioribus iudicat, & ad hoc est cap. ille. 32. q. 5. Quæ autem corpore incorruptæ sunt, licet mente